

## **Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 119**

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis I. decano et vniuerso capitulo Aurelianen(s) salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster M. Aurelianen(s) episcopus dilectis in Christo filiabus nostris A. abbatisse et monialibus Fontis Ebraldi deuotionis intuitu et interuentu nostro ecclesiam de Cauceio donauit et terram in eodem loco positam eisdem monialibus confirmauit. Quia uero assensum uestrum super hoc necessarium esse cognoscimus, vniuersitatem uestram per apostolica scripta rogamus attentius, quatinus pro reuerentia beati Petri ac nostra eidem donationi et confirmationi assentiatis et, quod per eundem episcopum factum est, ratum ac firmum nostris precibus habeatis. Id ipsum quoque sigilli uestri munimine roboretis. Dat. Paris. XVIII kal. mad.